

8. 1846.
D.F. 2
50

DE

CHLOROSIS VERAЕ IDIOPATHICAE

SYMPTOMATIBUS ET CAUSIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITERARIA TURICENIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XIV. MENSIS MARTII A. MDCCCXLVI.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

JOA. JAC. HOTTINGER,

TURICENSIS A WAEDENSCHWEIL.

TURICI

EX OFFICINA KULLII.

1846.



RECEIVED

STATE OF NEW YORK

IN SENATE

JANUARY 1874

REPORT

OF

THE COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

IN RESPONSE TO A RESOLUTION

PASSED BY THE SENATE, APRIL 1873

ALBANY:

W. H. BROWN, PRINTER.

1874

NEW YORK:

1874

FOR SALE BY THE COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

AT THE OFFICE OF THE COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE



VIRO

CLARISSIMO DOCTISSIMO

CARL EWALD HASSE

MEDICINAE DOCTORI

PATHOLOGIAE SPECIALIS PROFESSORI ORDINARIO,

CLINICES MEDICAE DIRECTORI

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

AUCTOR.

De symptomatibus et causis Chlorosis verae idiopathicae.

Chlorosis est morbus sanguinis in stadio pubertatis organismi muliebris existens, cujus natura ea potissimum est ut sanguis et directe decrescat, et in statum quendam serosum traducatur, ita ut ejus partes aquosae augeantur, contra proteinum et corpuscula sanguinis minuantur.

Est chlorosis idiopathica, vera; symptomatica, menorrhagica Trousseau; est chlorosis organica (J. P. Frank) cum perturbationibus sive defectionibus in evolutione organismi primariis conjuncta; est Chl. vera et spuria. In hac dissertatione praecipue de Chlorosi vera, idiopathica agam.

Praeterea hujus morbi varias species enumerant, v. g. Chl. floridam, s. erethisticam, torpidam; Chl. atonicam, entonicam (Mason Good), Chl. sthenicam, asthenicam, quae quidem varietates non ad morbum ipsum, sed ad indolem individui illo morbo affecti referuntur.

Symptomata.

Ante omnia animadvertitur insolitus pallor cutis viridescens, maxime in vultu et in collo, conjuncta cum turgore quem dicunt lymphatico (Brueck), quo cutis quasi cerea videtur; oculi vero splendore carentes, languidi, palpebrae inferiores saepe oedematose inflantur; crura quoque et pedes praecipue vespertino tempore tumescunt; caeterum cutis est frigida, mollis tactu, sicca.

Sanguis chloroticarum omnibus naturae physiologicae partibus in statu quodam languoris, atoniae, debilitatis esse videtur; functiones omnes, quae ad vigorem hujus liquidi referuntur, plus minusve impeditae, retardatae; nutritio tota laborat, mutatio materiarum organico-chemica (Stoffwechsel) jacet. Et quum sana secretionum excretionumque conditio omnino ab energica materiae mutatione pendet, fiat necesse est, ut hoc languore nutritionis et chemismi omnes secretiones et excretiones opprimantur, ex quo sedes tarda, sicca, cutis sicca, urinae aquosae etc. Sanguis est organon nutritionis et assimilationis primariae, qui quo magis omnino viget, eo celerior mutatio materiae fit, chemismus organicus eo acrior erit, necessitas novae materiae ingerendae (appetitus, fames) et, quum

omnium secretionum, tum succi gastrici digestivi, praecipue acidi hydrochlorici formatio et digestio ipsa fient. Ex quibus facile intelligitur esse in hoc morbo sub extrema lassitudine et imbecillitate, anorexiam maximam, digestionem lentam, difficilem et multis impedimentis, ponderositate, tensione epigastrii, borborygmatibus, meteorismo, respiratione frequentiori, atque etiam dyspnoea affectam. Plerumque obstipationem, interdum praecipue in ultimis stadiis morbi diarrhoeam mutatam, aegrotans conqueritur. Secretio cutis oppressa, urinae aquosae etc.

Saepe etiam, quod maxime mirum et difficile est explicatu, in arteriarum truncis strepitus quidam (bruit de diable) auditur qui tamen ex disproportione inter lumina arteriarum et circuitum radii sanguinis explicandum esse videtur.

Maximum et quasi characteristicum phaenomenon, a compluribus pro morbo ipso habitum, defectus menstruorum s. amenorrhoea existimatur. Notum est menstruationem nihil aliud esse quam congestionem periodicam ad organa sexualia muliebria quae partu ovuli Graafiani maturi et plus minusve abundante haemorrhagia solvitur. Eodem fere tempore et plethora menstrualis formatur; sanguis vero, auctis corpusculis sanguinis et proteino, maxime ad congestiones dispositus, quasi praedispositionem haemorr-

hagicam prae se fert; sed stimulus et attractus localis processibus localibus in ovariis i. e. evolutione et maturatione ovuli Graafiani oritur. Qua re in iis quae ovariorum egent sive ea maxime (paralysi vis formativae) atrophica habuerunt, menstruationem plane deesse observatum est. Haemorrhagia menstrualis ex tota tunica mucosa uteri, forsitan et ex tubis Fallopii exit, et hec modo efficitur, quod corpuscula sanguinis frequentissima in capillaribus uterinis (antagonistice paralyticis) coguntur et, vasis ruptis, tandem ad superficiem tunicae mucosae evadunt. Jam vero chloroticis aut menstrua omnia desunt aut eorum loco sola molimina frustranea, aut secretio sero-mucosa periodica aut inflammatio chronica exacerbationibus periodicis menstruationi respondentibus exstant. Menstruatio igitur in periodica quadam evolutione sanguinis, in plethora periodica menstruali sita est. Chlorosis autem in diminutione, atrophia quadam sanguinis constat; fibrina, albumen et corpuscula sanguinis (effectus proprius vis genitricis sanguini insitae) minuta, partes aquosae auctae sunt; sanguis serosior factus est (Hydraemia). Quae quum ita sint de plethora menstruali cogitari non posse patet; ac profecto omnia quae ad talem plethoram referantur desunt. Si tamen secreto stimulo (in processibus periodicis ovarii sito) affluxus et

congestio sanguinis in capillaribus uterinis apparet, deficientibus globulis sanguinis, fit loco rupturae vasorum et haemorrhagiae solum exsudatio primo serosior, deinde albuminosa plus minusve pigmento sanguinis soluto tincta. Haemorrhagia menstrualis autem est finis critica plethorae menstrualis universalis et localis, quia hoc modo vasa repleta et abundantia corpusculorum sanguinis quasi temperatur. Sed ubicunque haec crisis deest et stimulis animi aliisque congestio sexualis alitur, phaenomena inflammationis catarrhalis (tunicae mucosae) raro parenchymatosae erumpunt. Ea vera inflammatio tunc non aucta sed chronica congestio aestimanda est. Fluor albus (benignus) s. Leucorrhoea multis chloroticis incommodum affert.

Fieri autem potest, ut menstruatio adeoque omnino omnia molimina menstrualia desint; quod nonnisi in atrophia primaria ovariorum et organorum generationis, cui interdum chlorosis re vera jungitur, esse videtur. Ad hanc completam paralytin vis formativae leviores perturbationes evolutionis s. formationis perducunt, quibus saepe chlorosis species associatur; quod ubi fit, chlorosis continuatio et evolutio morbi primarii formativi habenda est. Haec tamen species chlorosis (Chl. organica I. P. Frank) ab hac dissertatione aliena est.

Maxime memorabile vis defectus sanguinis in variis systematis nervorum circulis objicitur. Nec ad restitutionem sufficientem materiae consumptae, nec ad receptionem quantitatis ad majorem expeditionem nervosam sufficientis oxygenii atmosphaerici sanguis chloroticus aptus est. Quanto plus fibrinae sanguis habet tanto plus oxygenii recipi potest (in respiratione oxyproteinum formatur), quam ob rem facile dyspnœa satis levi labore atque adeo eclipsis ex confectione virium nervorum et sanguinis existunt. Ideo solita res est somnolentia, frigus, horripilationes, cutis frigida, ex insufficientia sanguinis et combustione et calefactione peripherica in nervis depressa. Dum autem fibra nervea centripetalis directe a sanguine depressa conspicitur fibra centrifugalis s. motoria minus pauperitate sanguinis affecta, quia ejus functiones non directe combustioni et calefactioni respondent et quia plane ab organis centralibus nervorum agitur, per antagonismum nerveum excitatur; ex quo affectiones spasmodicae omnis generis efficiuntur. Haec excitatio antagonistica primo praecipue in nervis musculorum involuntariorum in vasis sanguinis potissimum nec minus in fasciculis contractilibus cutis etc. est; ex quo pulsus frequentes, saepissime spasmus ventriculi, vomitritio, vomitus, spasmus uteri (abortus non rarus effectus hujus morbi) etc. fieri solent.

Eadem symptomata languoris, conjuncta cum irritabilitate perversa, vaga, et in sublimibus circulis nervorum, in functionibus cerebri reperiuntur, languor, somnolentia, inertia animi, fuga laborum, amor solitudinis, melancholia, tristitia, morositas, adjectis saepe studiis perversis, miris cupidinibus, ex quo quaedam similitudo cum hysterismo aperte ex toto quasi corpore symptomatum prodit. Quorum symptomatum pars manifeste ex sensu moroso imperfectae conditionis physicae, pars ab aliis impressionibus psychicis amorem sui laedentibus, pars aperte a nutritione et temperatione prava sanguinis pendet. His phaenomenis generalibus saepissime symptomata quaedam specifica difficilia explicatu adduntur; v. g. in nervis sensitivis, saepe eadem excitatio morosa apparet quae in functionibus cerebri, in cogitando observatur, vera phantasmata sensuum. Appetitus, sicut omnes functiones sensitivae, valde debilitatus, saepe autem alieno tempore, perverso modo se manifestat v. g. cupido humi, calcis cretae etc. Plerumque chloroticae res acres appetunt quae minime corpori assimilandae nec raro stomachum et digestionem corrumpunt et ventriculum sedem permultarum neuralgiarum et reddunt. Sed fere omnes neuralgiae et spasmi saepe chloroticas, sicut hystericas, infestant.

Quando denique chlorosis ultimum gradum cachexiae serosae attingit, cutis vepallida, plumbea est; exhaustio virium muscularium et nervearum in paralysin completam transit; appetitus omnis fugit, digestio perit et cum hydropo universali, diarrhoeis colliquativis, sopore paralytico, febris hectica ultimas vires organismi absumit.

Causae.

Omnia quae in stadio pubertatis muliebris sanguinem directe et indirecte diminuunt, quae regenerationem sanguinis, digestionem et assimilationem perturbant, causae sunt chlorosis. Sed princeps causa sine dubio pubertatis evolutio ipsa est. Haec vim quandam et copiam materiae organicae nutritivae postulat, quae ubi non sufficit ad hunc extremum progressum et laborem vis formativae perficiendam, nec celeriter nova materia regeneratur, dyscrasia chlorotica plerumque non aberit. Ubi igitur organismus jam a priori dispositione anaemica (s. hydraemica) affectus est, ubi assimilatio non fixa et segura, initium hujus periodi, quae extremam formationem corporis muliebris continet, hanc dispositionem in morbum perfectum mutabit. Sanguis sanus, vicens, digestio fortis, pulmones liberi, vel plethora

quaedam hic quaeruntur. Quot puellis quae seminia
 cujusdam morbi corpus totum penetrantis habent, haec
 periodus infelix evenit! Saepe v. g. post tuberculosin
 infantilem (s. scrophulosin) feliciter subactam, hac nova
 evolutione sanguinis seminia dispersa hujus dyscrasiae
 quae jam dudum extincta credebatur, emergunt, exardescunt
 et organismum phthisi pulmonum mortali tradunt.
 (Tuberculos menstrual. Schoenlein). Evolutio praematurata,
 menstruatio praecox, praecipue profusa, arte adhibita
 omnibus rebus quae genitalia excitant accelerata v. g.
 nimis matura consuetudine virorum, onania psychica et
 physica etc; quasi maturitas hibernacularis artificiosa, qua
 re sanguis evolutionem regionis genitalis sequi nequit,
 in hunc statum flaccidum, chloroticum cadere solet.
 Maximam vim habet modus vivendi. Omnia quae sanguinis
 formationi et regenerationi inservire nequeunt sed potius
 molesta, difficile digerenda, longa commoratione in tubo
 digestivo coctionem et circulationem capillarem impediunt,
 vita ignava, iners, sedentaria, quae vivendi amorem et
 appetitum corrumpit, secretiones excretionisque lentas et
 tardas reddit, ad congestiones abdominales disponit maxime
 huic morbo favent. Laboriosa exercitatione musculorum
 et nervorum chemismus organicus sanus, vicens, digestio

prompta, appetitus bonus ciborum conservatur; inertia musculorum et nervorum organismum facile huic morbo tradit. Aër frigidus, recens, lux recens, maxime necessariae sunt ut organismus floreant, et inopia eorum saepe sufficit, ut Chlorosis nascatur.

Non raro autem chlorosis arte facta est abusu aceti. I. P. Frank ejusmodi historiam enarrat: puellae duae malas perrubras aegre ferentes, acetum adhibuerunt, ut sanitatem rubentem, rusticam ex vultu pellerent et adeo profecerunt, ut non solum pallorem cupitum, sed etiam chlorosin gravem sibi procurarent. Notum enim est acido acetico corpuscula sanguinis ac fibrinam dissolvi.

Finis.



Theses defendendae:

1. Gangraena (necrosis) ossium non est.
 2. Typhus scorbutus acutus.
 3. Variola dyscrasia acuta.
 4. Amylacea, adeps ad nutritionem inservire nequeunt.
 5. Arthritis non est privilegium » dominorum «.
 6. Arthritis rheumatismus dyscrasicus.
 7. Arteriitis universalis non est.
-

N9<903329451

N9<903329451

